Michael Denis: Codices Manuscripti Bibliothecae Palatinae Vindobonensis Latini Aliarumque Occidentis Linguarum. Vol. I. Pars I.
Wien, 1793 Seite 671
Quelle:
Copyright:

nostro in Codice *Libro de Haeresibus* continuo cohaeret hoc titulo miniato: *Dubitacio ad agarenos*, incipitque: *Si interrogatus fueris a saraceno dicente quem dicas christum* &c. Et finit: *nichil apponens ad ipsum alterum.* Textus graecus, quem tempore suo *Lequienius* in Bibliotheca *Caesarea* latere questus est T. *cit.* p. 465. Viris eruditis liberalissime offertur. Extat inter *Codd.* graecos theologicos N°. 306. p. 100. hoc titulo: Διαλεξις σαρακηνου και χρισιανου.

CCXV. IX F. 5

490 Codex chartaceus lat. Sec. XV. Folior. 289. 4. currente calamo scriptus, rubricisque pernotatus hoc gaudet titulo: *Incipit liber Beati Crisostomi de opere imperfecto*, in *Matthaeum* scilicet, cujus XXV. Capita de XXVIII. exponuntur Homiliis LIIII. quamvis rectius Commentarius perpetuus dici possit, qua forma etiam in praesenti *Codice* extat. *Johannis Chrys.* porro non esse, norunt Eruditi, et dictum est ad *Codd.* praeced. Prologi initium: *Sicut referunt Matheum conscribere Evangelium causa contulit talis* &c. Ipsius Expositionis: *Liber generacionis ihesu christi — Liber quasi apoteca graciarum* &c. Ista vero integra non est in *Codice;* deficit enim C. XXIII. Homilia sic dicta XLVI. in iis verbis: *Si quis autem misterium hoc per illum* (illos) *putat impletum, quod* (qui) *in Actibus Apostolorum leguntur — —* quae habentur edit. *Opp. Joh. Chrys.* lat. *Lugd.* 1687. T. II. p. 439. Et tamen Librarius noster adscripsit: *Et sic est finis huius operis.* Quod merito manus ejusdem Seculi coarguit addendo: *sed non finisti, sed es subductor.* Certe enim plusquam 12. folia edit. mox *cit.* subducta sunt. Ut adeo Commentaria ista, prout hic extant, duplici titulo *Opus imperfectum* dici queant.

CCXVI. IX F. 28.

Codex chartaceus lat. boh. 513
Sec. XV. Folior. 335. 4. currente, sed non uno calamo exaratus plura complectitur, quae edisseremus. I. *Incipit Crisostomus super Math. de Opere imperfecto.* Initium: *Sicut referunt Matheum conscribere euangelium causa contulit talis* &c. Non esse *Chrysostomi* jam dictum ad *Codd.* praecedd. Illud observo, praesens Exemplum in iisdem verbis deficere, in quibus deficere vidimus Exemplum *Cod.* praeced. videlicet: *Si quis autem misterium hoc per illum putat impletum quod in actibus apostolorum legitur — —.*

II. *fol.* 195. *Reuerendi magistri Mathie de corpore cristi. Mathiam* hunc esse a *Panow* seu *Janow*, ob 9. annorum in *Parisina* Academia commorationem *Parisiensem*, dein et *Pragensem* dictum, annoque 1394. vivis exemtum *Pragae* vix dubium est. Opus ejus praesens, alias etiam *de frequenti Communione* inscriptum,

non